



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 2. In Tauricâ Chersoneso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

Circa eundem Fluuium nascitur herba Gelotophyllis dicta, quæ si cum vino bibatur, & myrrâ varias repræsentat species, & ridendi finis sit nullus, nisi haustis nucleis pineæ nucis, cum pipe-  
re, & melle. *Plinius lib. 24. cap. 17.*

Fluuius Hypanis à capite profluit circiter millia 40. sapore dulcissimo: deinde cùm peruenit ad locum, qui est ab ostio ad millia centum sexaginta, admisceret ei fonticulus (*Ex ampleum omnes alij preter Vitruuum vocant*) oppidò parvus qui tanti flumi-  
nis aquas amaras reddit; quod idem Vitruuius Sandarachæ adscri-  
bit, quæ ex montibus effoditur vnde effluit ille fluuiolus. *Vi-  
truuinus lib. 8. cap. 3. Herodotus lib. 4. Mela lib. 2. cap. 1. Solinus cap.  
24.*

In Hypani Fl. nascuntur bestiolæ quæ tantum uno die viuunt. *Cicero 1. Tuscul. & Plinius.*

Ad eundem Fluuium sub brumam vtriculi deferuntur maio-  
res acinis, quibus ruptis exit animal quadrupes, & alatum, sed  
tantum uno die viuit. *Antigonus cap. 92.*

### §. 2. In Taurica Chersoneso.

TER accedit in Bosphoro ut falsi deciderent imbræ, & frumen-  
ta necarent. *Plinius lib. 31. cap. 4.*

Ibidem indigenæ vites suas suffodiunt multâ ingestâ terrâ, eas-  
que à frigore seruant illætas. *Strabo lib. 7.*

Apud fauces Maeotidis (ita Bosphorum Cimmerium vocat)  
traiectus inter Phanagoriam, & Panticapeum, ita plaustra fert con-  
gelatus, ut & via trita sit & lutosa. *Idem Strabo ibidem.*

In Tauricâ Peninsulâ Berosus est collis, in quo tres fontes sine  
dolore, sine remedio mortiferi. *Plinius lib. 2. cap. 103.*

Ibidem indigenæ ex plantâ contusa quam Halindam nominant,  
oleum exprimunt, quo se vngentes, ita calefiunt, ut frigus sine  
molestiâ perferant. *Plutarchus de Flum. in Tanai.*

Hic quoque herba Pryxa dicta, quam si habuerint præuigni ni-  
hil iniqui patientur à nouercis. Hæc porrò niue frigidior est, vbi  
autem à nouercis struuntur insidiae flamas emittit, quibus ij in-  
telligunt sibi caendum esse. *Idem Plutarchus ibidem.*

In eâdem Peninsulâ Taurorum in ciuitate Parashno terra effodi-  
tur, quâ omnia vulnera sanantur. *Plinius lib. 2. cap. 96.*

Ad urbem Chersonam in mari procul à continenti 4. pass. milibus, post mortem S. Clementis Papæ inuenta est ædicula ex marmore mirabiliter constructa, in quâ Sancti corpus seruabatur in arcâ marmoreâ. Quotannis diebus octo ad festum eius mare recedebat, & Christiano populo aperiebat iter, quibus clapsis magno cum fragore regrediebatur. *Aëta S. Clementis Pape.*

Hanc suo tempore stetisse, ait *F. Guilielmus de Rubugnis*. Hic quoque miraculum contigit celebratissimum, quando mulier præ festinatione, fluctibus imminentibus in eâ ædiculâ filium reliquit, quem vertente anno viuum, & spirantem inuenit. *Eadem Aëta.*

### §. 3. In Poloniæ Regno.

MINORES volucres in Poloniâ, ut Hirundines, & Cypseli, des Martinetz, implicitis inter se pedibus, & alis conglobatax, in lacus, paludes, & piscinas se immergunt hyeme, ac postmodum vere nouo indidem existunt, ac sese explicantes euolant. Extræ per hyemem retibus à pescatoribus videntur sine ullo motu, & sensu; mox ad ignem applicitæ, vel in hypocausto positæ reuiniscunt, & euolant, sed statim læsæ frigore, aut nimio calore emoriuntur. *Martinus Cromerus lib. 1. sue Polonie.*

Fluuius Narua in Poloniâ nullas animantes veneno infectas ferre potest: & si qui serpentes nauigiis adhæserit per Bugem Fluuium in Naruam descendenteribus, tactam aquam illico cum sibilis refugiunt. *Dlugossus, & Cromerus.*

In Maiori Poloniâ prope urbem Stem reperiuntur pocula, & vasæ fictilia, à naturâ efficta, quæ extracta instar lapidum indurantur. *Michouius lib. 1. cap. 3. & Cromerus auctoꝝ.*

In agro Cracouiensi sal ex terrâ ad instar lapidum, similique cum eis duritie excinditur: & iam specubus latè excauatis multæ villæ, aliquot oppida, fulcris sustinentur: fuluus est, & quasi luto aspersus. *Cromerus in suâ Poloniâ.*

Cracouiæ lacus est, in quem proiectus erat digitus S. Stanislai: habet is aquas quæ si in usum quempiam hauriantur noxiæ sunt, at si ad quaslibet ægritudines sumuntur valde prosunt. *Ioannes Longinus Canonicus Cracouiensis.*

Ad urbem Scepusium riuus ex arduis montibus profluens cuius guttæ in lapides concrescunt: sic ut sponte ex iis existant ful-